

ait: ad eum T'ebel vxor eius, grandis auctoritatis es & bene regis regnum Israel. Extendit interpret: nam Hebraicè habetur. in nunc facies regnum super Israel. nec aliud scribitur. Et ironia est: sonans si non tanti es vt habeas vineam vnus ciuis, multo minus seruabis tibi regnum super vniuersum Israel: sonans quòd iste non est modus seruandi regnum super Israel: sonans quòd iustitia non debet ipsum impedire à voto habendi vineam sicut nec à seruando regnum, sed per fas & nefas agendum est quemadmodum pro regno. surge comede panem & alacri animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Izrehelita.

Scripsit itaque literas nomine Ach' ab. & signauit eas anulo eius. vt ex nomine simul & anulo regis intelligamus consentiente rege missas esse has literas. & misit literas ad seniores & optimates qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth. Et scripsit in literis dicendo: predicare ieiunium. Quauis hebraica dictio anceps sit ad ieiunium vel congregationem, subiuncta tamen testantur rectius legi cōgregationem. Ita quòd legèdum est. vocate congregationem, & sedere facite Naboth in capite populi. quadrat enim huic selsioni vocatio congregationis. Et submitte duos viros filios Bel' iahal contra eum, & resistantur contra eum dicendo, benedixit Naboth Deum & regem. Legèdum est. benedixisti Elohim & regem. In secunda persona exequendum mandatur, vt intelligerent quòd testes in faciem ipsius Naboth auderent dicere blasphemasti Deum & regem. & educite eum & lapidate eum & moriatur.

Feceruntque viri ciuitatis eius (seniores & optimates qui habitabant in ciuitate eius) sicut miserat ad eos T'ebel: sicut scriptum erat in literis quas miserat ad eos. Predicauerunt ieiunium. Legèdum est vt supra. Vocauerunt congregationem. repetuntur enim scripta in literis. & sedere fecerunt Naboth inter primos populi. Legendum est. in capite populi. Et insinuat hinc quòd Naboth ciuis erat non infimus, sed inter præcipuos ciuitatis illius. Veneruntque duo viri filij diaboli. Hebraicè habetur. filij Bel' iahal. hoc est absque iugo legis & morum. & sederunt contra eum: & testificati sunt contra eum viri Bel' iahal coram populo, dicendo, benedixit Naboth Elohim & regem. hoc est blasphemauit. ex opposito enim significat scriptura (horrens etiam nominare) blasphemiam Dei. eduxeruntque eum extra ciuitatem, & lapidauerunt eum lapidibus & mortuus est. Miseruntque ad T'ebel dicendo: lapidatus est Naboth & mortuus est.

Cum

Cum autem audisset T'ebel lapidatum esse Naboth, & mortuum dixit ad Ach' ab: surge posside vineam Naboth Izrehelita. Aduerte lector tam hic quam sepe inferius haberi hebraicè hæredita: quod sonat hæreditario iure possidendam vineam. Et ad huiusmodi ius spectant subiuncta verba, qui renuit dare eam tibi pro pecunia. sonant enim quod ob mortem Naboth rex tanquam hæres acciperet vineam. Nec apparet facilius intelligentia talis iuris quam per viam confiscationis, ita quod ex crimine læsæ maiestatis confiscatæ erant res Naboth: ac per hoc rex tanquam hæres succederet. & eo magis quo inferius (hoc est libro. 4. cap. 9) commemoratur non solum sanguis Naboth, sed etiam sanguis filiorum eius, qui hic tacetur. non enim vixit Naboth, sed mortuus est. Cūque audisset Ach' ab mortuum esse Naboth, surrexit vt descenderet ad vineam Naboth Izrehelita ad possidendum eam.

Factus est autem sermo domini ad Eli' iahu thibitem dicendo. Surge descende in occursum Ach' ab regis Israel qui est in Someron: ecce ad vineam Naboth descendit vt possideat eam. Hebraice habetur. ecce in vinea Naboth ad quam descendit ad hereditandum eam. Occurrit quæstio quomodo verificantur hæc: videlicet quod rex esset in Samaria & esset in vinea Naboth: cum vinea esset non in Samaria, sed in Izrehel, vt in principio huius capituli dictum est. Solutio est quod in hebraico cōtextu scribitur sine verbo aliquo de rege, qui in Someron: ecce in vinea Naboth ad quam descendit &c. Et significatur celeritas executionis cum aggravatione. est enim sensus, vade in occursum Ach' ab regis Israel, qui residens in Samaria audita morte Naboth ecce sine mora est in vinea ad quam descendit. ita quod Samaria scribitur vt locus residetia regis: vinea autem vt locus in quo inueniendus erat. Sed adhuc restat quæstio altera: quomodo mandatur Eliæ vt descendat in occursum Ach' ab si inueniendus erat in vinea? Solutio est quod quia Ach' ab prius venit ad vineam quam ad palatium regium in ciuitate Izrehel, ideo & verificatur occursum & verificatur inuentio ipsius in vinea. Et loqueris ad eum dicendo: sic dixit dominus, occidisti insuper & possidisti. Hebraice habetur dictio significans crimen homicidii: ac si liceret dicere homicidisti. & scribitur. num homicidisti & etiā hereditasti: Manifestat propheta vtrūque; peccatū ponderatū esse à deo. & post hæc addet.

Ll iij Sensum

Sensum exposuit interpres, vt pœnam post culpam manifestaret. sic dixit dominus, in loco hoc in quo lincerunt canes sanguinem Naboth. Superfluit hoc. De verificatione autem horum verborum, in sequenti capitulo vbi narrabitur mors Ach'ab, erit questio. *Ungent canes sanguinem tuum.* Hebraicè adiungitur. *etiam tuum.* Afferuatio est ad significandum vere tuum in indiuiduo.

Et ait Ach'ab ad Eli' iahu, num inuenisti me inimicum tibi? Iuxta Hebræum habetur. *num inuenisti me inimicus meus?* Et est sensus, num tu tãquam meus inimicus inuenisti me qui tam mala comminaris mihi? num affectu inimicitia aggressus es me cum his malis? & dixit, inueni. Afirmat Elias. & rationem subdit non ex parte ipsius Eliæ, sed ex parte ipsius regis. eo quod venundatus sis ad faciendum malum in oculis domini. Ecce ratio inimicitia quia venundatus es (hoc est tanquam venundatus, tanquam seruus addictus es) ad faciendum malum in oculis summi dei. non est ergo inimicitia ex parte mei, sed ex parte iniquitatis tuæ. *Hec dicit dominus.* Interpres hæc addidit ad significandum subiuncta verba dicta esse in persona dei. *Ecce ego inducam super te malum.* Inchoata prius, sed propter interrogationem Ach'ab interrupta dei verba profertur Elias. & demetam posteriora tua. Iuxta Hebræum habetur. & destruem post te. hoc est posteros tuos. & succidam de Ach'ab mingentem ad parietem, & clausum & vltimum in Israel. Iuxta Heb. habetur. & retentum & relictum in Israel. Quem admodum in prophetia punitionis Ierobohã primi regis Israel, post pœnam domus Ierobohã adiuncta est puniatio populi in istismet verbis in capitulo. 14. ita & hic post pœnam domus Ach'ab prænucciatur puniatio populi, quæ ad nouam idolatriam Ach'ab traxit. Et significatur ad literã futura destructio populi totius inchoando ab iis qui frequentri retinètur collegio, vsque ad infimos qui habentur pro derelictis. *Et dabo domum tuam sicut domum Iarobham fili' Nebar, & sicut domum Bahasæ filii Achi'ia.* Bahasæ peccata scripta sunt cap. 15. puniatio vero cap. 16. propter irritationem qua me irristasti & peccare fecisti Israel. Et etiam de I'zebel. regina quæ fuerat principalis causa tot malorum. locutus est dominus dicendo: *Et anes comedent I'zebel in agro.* Hebraice habetur. *in valle Iixzebel.* Non significatur locus agrestis, sed locus imus. *Mortuum de Ach'ab in ciuitate, comedent canes: & mortuum in agro, comedent*

volucres

volucres cali. Veruntamen non fuit sicut Ach'ab, qui venundatus est. Legendum est. qui se vendidit ad faciendum malum in oculis domini: quia incitauit cum I'zebel vxor eius. hoc est ad instar vendentis seipsum addixit se seruituti ad faciendum malum; vt seruitus hæc non coacta, sed voluntaria intelligatur: & occasio reicitur in vxorem. Et abominabilis effectus est valde eundo post idola: iuxta omnia quæ fecerant Emorei quos expulit dominus à facie filiorum Israel.

Itaque cum audisset Ach'ab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio. Iuxta Hebræum habetur. *sacco carnis suam & ieiunauit.* Pœnitentia exterior describitur. & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Hebraica dictio anceps est ad tria: videlicet ad demissus, vel ad discalcatus vel sensum. elige quod vis. *Factus est autem sermo domini ad Eli' iahu Thisbithem dicendo: Num vidisti quod humiliatus est Ach'ab coram me?* Hebraice habetur. *à facie mea?* hoc est à timore mei? Et hinc insinuatur quod non vsque ad amorem dei peruenit hæc humiliatio: sed in timoris terminis stetit. Vnde & repetitur. *quia fuis humiliatus à facie mea nõ inducam malum in diebus eius: in diebus filii eius inducã malum super domũ eius.* Vide dei bonitatem, non abique præmio relinquentem humilitatem Ach'ab, quanuis ex timore. Sed ipsum præmium temporale attestatur quod diximus: videlicet stetit humilitatẽ eius infra terminos timoris.

## CAPVT XXII.



ranserunt igitur tres anni absque bello inter Syriã & Israel. In anno autem tertio descendit Iehosaphat rex Iehude ad regem Israel. Dixitque rex Israel ad seruos suos: ignoratis. Hebraice habetur. *num nostis? quasi dicat, nostis, quod nostra sit Ramoth Ghilhad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?* Et ait ad Iehosaphat, veniesne mecum ad bellum in Ramoth Ghilhad? dixitque Iehosaphat ad regem Israel. *sicut ego sum ita & tu, populus meus & populus tuus vnũ sunt, & equites mei equites tui.* Interpres addidit: hebraice enim eodem modo dicuntur omnia, sicut ego sicut tu, sicut populus meus sicut populus tuus, sicut equi mei sicut equi tui. modus enim loquendi hebraicus est ad significandum indifferentiam.

Dixitque Iehosaphat ad regem Israel: *quare obsecro hodie verbum domini.* Congregauitque rex Israel prophetas, quã tringentos circiter

*circiter viros.* Hebraice habetur. *sicut quadringentos viros.* Et quia interrogandus sermo Iehouah propositus fuerat à Iosaphat, consequens est vt intelligamus prophetas istos tanquam prophetas summi dei vocatos. erant enim vt diximus proficetes se diuinis laudibus vacare: & ideo prophetæ appellabatur. & ait ad eos, *irène debeo in Ramoth Ghilhad ad bellum an quiescere? qui responderunt, ascende & dabit dominus in manu regis.* Nomen est loco tetragrammaton. Quod ideo annotauerim vt perspiciatur quod summi Dei prophetas se esse profitebantur isti.

Dixit autem Iehosaphat: *an non est hic propheta domini quispian.* Hebraice habetur. *adhuc, & inquiremus ab eo?* Non petit an sit aliquis propheta summi Dei: sed an sit aliquis alius summi Dei propheta. Et dicendo adhuc, affirmat illos quadringentos esse prophetas summi Dei. aliquid enim minoris fidei se præstare multitudini illorum insinuat, petendo an aliquis alius adhuc sit propheta domini. sciebat enim (vt creditur) relictum fuisse Micheam: & propterea interrogauit an aliquis remanserit. Et ait rex Israel ad Iehosaphat: *adhuc est vir vnus per quem possumus interrogare dominum (sed ego odi eum. hoc est abominor eum. quia non prophetat mihi bonum, sed malum)* Michai iehu filius Iimla: dixitque Iehosaphat, *ne dicat rex ista.* Vocauit ergo rex Israel eunuchum vnum: & dixit, *festina adducere Michai iehu filium Iimla.* Rex autem Israel & Iehosaphat rex Iehuda sedebant vnusquisque super solium suum vestiti cultu regio. Iuxta Hebræum habetur. *vestiti vestibus in area introitus porte Somerou.* Rectè interpretem antiquum exposuisse puto. & omnes propheta prophetabant in conspectu eorum. Fecitque sibi *Zidai* filius Chenahane cornua ferrea: & ait, *sic dixit dominus, his ventilabis.* Iuxta Hebræum habetur. *cum istis cornupetes Syros vsque ad consumptionem eorum.* Propheta iste sensibilibus signis suam prophetiam protulit vt firmiter crederetur quod dicebat. cornibus enim ferreis vim efficacè ad domandum Syros significauit affaturam regi Israel. Omnesque propheta prophetabant sic dicendo: *ascende in Ramoth Ghilhad & vade prosperè.* Hebraicè habetur. & *profice.* profectum siquidem in prælio promittunt omnes prophetæ. & similiter intellige inferius cum vade prosperè repetitur. & *tradet dominus in manu regis.*

Nunciuss autem qui ierat ad vocandum Michai iehu locutus est ad

ad eum dicendo: *ecce quæso sermones prophetarum ore vno bonum regi prædicunt, sit quæso sermo tuus sicut sermo vnus ex eis & loquere bonum.* Cui Michai iehu ait: *viuit dominus quod quicquid dixerit mihi dominus illud loquar.* Venit itaque ad regem: & ait illi rex, *Michai iehu num ire debemus in Ramoth Ghilhad ad bellum an quiescere?* Dixitque ad eum, *ascende & vade prosperè & tradet dominus in manu regis.* Dixit autem rex ad eum: *iterum atque iterum.* Hebraice habetur. *vsque quot vices.* Et sunt verba non regis, sed authoris libri: legendum est enim. Et dixit ad eum rex: *vsque quot vices ego adiuro te.* hoc est non semel, sed multoties repetendo adiurationem subiunctam. *vt non loquaris mihi nisi quod verum est in nomine domini?* Et ait, *vidi totum Israel dispersum in montibus quasi oves non habentes pastorem.* Oritur quæstio qua ratione Micheas prius dixit *ascende & dabit dominus in manu regis ciuitatè,* statim autem dixit oppositum. Et eo magis augetur quæstio tum quia ipse iurauerat nuncio se dicturum quod deus loquetur sibi: certum est enim deum non mentiri. tum quia ipse non dicit video, sed vidi omnem Israel &c. si enim viderat ruinam regis & populi, quomodo dixit absque mendacio, *ascende & proficies & tradet dominus &c.* Solutio est quod Micheas priora verba dixit nomine proprio antequam haberet visionem hæc. quod ex eo habetur quod ipse iurauit nuncio se dicturum non quod locutus est. sed quod loquetur sibi deus. Futurâ ergo expectabat reuelationem diuinam: & interrogatus primum à rege carens diuina reuelatione, videns omnes prophetas alios prophetare bonum conformauit sermonem suum sermoni aliorum: statim autem adiuratus à rege vt loqueretur in nomine domini duntaxat, diuinam habuit visionem quæ verbis subiunctis narratur. Et præteritum vidi, ad tempus locutionis refertur. iam enim viderat quando narrauit visionem: cito enim deus internam operatur visionem. & ait dominus, *non habent isti dominum.* Significatur per hoc mors regis futura in illo prælio. Vbi nota quod simul Micheas vidit Israellem dispersum tanquam oves sine pastore, & audiuit significatam rem ex ore dei. *reuertatur vnusquisque in domum suam in pace.* Et per hoc significatur quod percusso rege reditus erat populus ad propria.

Dixitque rex Israel ad Iehosaphat: *nonne dixi tibi quod non prophetaret mihi bonum, sed malum?* Ille vero addens ait: *propheta.*

pterea. quia tam vehementer adiurasti me. *audi sermonem domini. vidi dominum sedentem super solium suum.* Aduerte quod visio ista fuit imaginaria. formatae siquidem sunt species in imaginatione Micheæ, repræsentantes deum in humana specie tanquam principem sedentem super solium cum assistentia vniuersi exercitus cœlestis, tanquam celebrantem concilium & inquirentem modum puniendi Ach'ab in prælio cōtra Syros. & ideo sedere & stare, interrogare & respondere, & reliqua eiusmodi fuerunt oblata in imaginatione Micheæ vigilantis, quemadmodum dormientes videmus somnando sedentes, loquentes, respondentes &c. Quia autem diuina fuit hæc apparitio, plena sunt omnia mysteriis: nam sessio dei principatum eius, stare vero aliorum seruitutem eorundem significat. *Et omnem exercitum cœli.* hoc est sanctas spirituales substantias seruientes deo ad gubernationem horum inferiorum, tanquam exercitum ordinatum ad pugnam contra homines rebelles diuinis præceptis. cœlestes enim omnes dicuntur, quia superiores sunt secundum naturam hominibus & reliquis habitantibus tam in terra quam in aquis. *stantem iuxta eum à dextris & à sinistris eius.* Spirituales substantiæ bonæ à dextris, malæ vero à sinistris stabant subditæ ad seruiendum.

*Dixitque dominus, quis decipiet Ach'ab.* Ista inquisitio præter merita Ach'ab vt deciperetur & sic periret, duo significat. alterum quod decipere alienum est à deo: & propterea tanquam id quod non habetur inter diuina, inquiritur. Alterum quod ipsum decipere est exacte cognitum & ordinatum à deo. deus enim proprie nihil inquirat: sed humano more describitur interrogans & inquirēs quis decipiet, ad instruendum nos hæc duo. *vt ascendat & cadat in Ramoth Gbilhad.* Ecce ordo deceptionis ad puniendum Ach'ab morte in prælio. *Et dixit vnus verba huiusmodi, & alius similiter.* Hebraice habetur. *Et dixit iste in sic, & iste dicens in sic.* Varii modi decipiendi Ach'ab propositi à stantibus narrantur. Qui ideo tacetur in specie, quia illis vt diuina noluit prouidentia. ideo tamen in genere referuntur, vt instruamur omnes modos omnesque vias decipiendi cognitæ ex aë esse à deo, & in promptu esse ad exequendam diuinam prouidentiam. *Egressus est autem spiritus & stetit coram domino.* Ex cœtu stantium à sinistris, egressus narratur iste spiritus: & prodiit in medium ante faciem sedentis dei in solio, & obtulit se ad decipiendum. Nominatur iste

Iste ab officio, quia spiritus officium exercendo decepturus erat. Egressus autem eius significat affectum eius ex intimis prodeuntem ad huiusmodi deceptionis modum subiuctum. Stare autem eius in medio offerendo se promptissimum, desiderium mali spiritus ad huiusmodi deceptionem simul cum impotentia hoc faciendi sine permissione diuina ac affectu vt permittat deus, significat. instruimur enim hinc quod dæmones, quanuis valde cupiant decipere nos, non nisi permisi specialiter possunt facere quod cupiunt. *Et ait, ego decipiam illum.* hoc est ego efficaciter exequar deceptionem. *dixitque dominus ad eum, in quo? quo medio vteris ad efficaciter illum decipiendum?* Et introducitur deus ( vt dictum est ) inquirens modum decipiendi, non quia nesciret: sed vt instrueremur & alienas esse à diuinis machinationes diabolicas, & subdidas in specie singillatim diuinæ prouidentia. *Et ait, egrediar.* Vere dicit, egrediar, quoniam extra rectitudinem operatio eius futura erat. *Et ero spiritus mendax.* Hebraice habetur. *falsus.* Vere fuit spiritus falsus in ore prophetarum, qui non mentiebantur, sed falsum dicebant putantes se verum dicere. Et fuit officium spiritus esse spiritum falsum in ore prophetarum: hoc est mouere atque impellere prophetas ab intimis ad vaticinandum falsum. potest enim permixta spiritualis substantia mouere phantasmatata, & consequenter gignere apparitionem alicuius falsi tanquam veri: necnon similiter excitare affectum ad illud dicendum &c. *in ore omnium prophetarum eius.* non prophetarum absolute, sed eorum qui placet ei. *Et dixit, decipies & etiam praualebis.* Manifestat deus efficaciam huius medii. Vbi aduerte officium esse diaboli decipere & praualere: & hoc officium diabolicum vsque adeo versari in curiis, vt Diogenes diffinierit curiam esse locum ad decipiendum & praualendum. *egredere & fac ita.* Verba hæc relata ad malum culpæ (actionem videlicet iniquam dæmonis) permixta sunt: relata autem ad punitionem ipsius Ach'ab, præceptiua sunt. & præter hæc significant relaxationem vinculorum (hoc est ablationem impedimenti) potestatis dæmonis quantum ad hæc faciendā: habet enim dæmon potestatem ligatam ob peccatum suum. *Et nunc ecce dedit dominus spiritum mendacii.* Legendum est. *spiritum falsum, in ore omnium prophetarum tuorum istorum.* Dedit deus modo prædicto: videlicet efficiendo relatiue ad pœnam, permittendo autem relatiue ad culpam.

culpam. & locutus est dominus super te malum.

Accessit autem *Zed' ed' iahu* filius *Chenahane*, & percussit *Michea' iehu* in maxilla: & dixit, mene ergo dimisit spiritus domini & locutus est tibi? Hebraice habetur, qua iste transiit spiritus *Iehouah* a mecum ad loquendum tibi? Manifesta indignatio contra *Micheam* quod *Sedechias* desertus fuerit a spiritu summi Dei. mouit eum ad facta & verba hæc. Et ait *Michea' iehu*, visurus es. Hebraice habetur, ecce tu videns in die illo quo intrabis cubiculum in cubiculo vt abscondaris. cito experiētia teste videbis cū quæres latibula. occiso enim *Ach' ab rege*, *Sedechias* iste videns se falsum vatem fuisse quæsiuit latibula.

Dixitq; rex *Israel*: tollite *Michea'*, & maneat apud *Amō*. Hebraice habetur, tolle *Michea' iehu*, & fac redire eū ad *Amon* principem ciuitatis. Hinc apparet qd *Micheas* prius fuerat detentus sub custodia *Amon*: alioquin nō dixisset rex ministro tolle *Michea'* & fac redire eū ad *Amon*. & ad *Ioas* filii *Hamelech*. Iuxta Hebræū habetur, filii regis. Crediderim ego antiquū interpretē rectius intellexisse *Melech* esse nomen propriū viri, & nō esse nomen appellatiuū significans regē hoc in loco. Et dicitur sic dixit rex: ponite hunc in domo carceris, & sustentate eū pane tribulationis & aqua angustia donec reuertar in pace. Dixitq; *Michea' iehu*, si reuertendo reuersus fueris in pace nō est dominus locutus in me: & ait, audite, hoc est fuis testes verbi quod dixi, populi omnes. Et aduerte nouicie qd iste *Micheas* alter est ab illo qui inter duodecim supputatur prophetas, nam iste prior fuit, videlicet tempore *Iosaphat* regis *iudæ*: ille autem tempore posteriorum regum, vt liber eius testatur in principio.

**A**scēdit itaq; rex *Israel* & *Iehosaphat* rex *Iehudæ* in *Ramoth Ghilhad*. Dixitque rex *Israel* ad *Iehosaphat*, sume arma & ingredere in præliū. Iuxta Hebræū habetur, mutari & venire in præliū. Siciacet in Hebræo. & immediate subditur, & tu indue vestes tuas: & mutauit se rex *Israel*, & venit in præliū. Contextus itaque aperit illa verba infinitiui modi absolute dicta (videlicet mutari & venire in prælium) de seipso rege *Israel* dixisse eum ad *Iosaphat*. Et subintelligitur decet me, nam cautā honorandi *Iosaphat* simulauit rex *Israel* se non cum apparatu regio ingressurum prælium, vt totus honor exhiberetur *Iosaphat*. Secundum tamē rei veritatem mutauit se timore *Syrorū*, vel sciens mādātū regis *Syriæ* aduersus regē *Israel* in specie quod in litera subiūgitur: vel sollicitatus ex audita prophetia

prophetia per os *Micheæ* de ipso regis occubitu in illo prælio. cogitauit. n. sibi minus imminere piculū si nō agnitus prætereret vehiculo currus. Prima tamen ratio videt reddi in litera, eo ipso qd immediate subiūgitur mandatū regis *Syriæ*.

Rex autē *Syriæ* præceperat principibus currū suorū trigintaduobus dicendo non pugnabitis cum paruo & cum magno, sed cum rege *Israel* solum. Et fuit cum vidissent principes currum *Iehosaphat*, suspicati sunt quod ipse esset rex *Israel*. Iuxta Hebræū habetur, dixerunt certe rex *Israel* ipse. Vox ista (vt in exercitu fieri solet) fuit vox publica, & excitatiua omnium ad pugoandum contra illum reputatū regē *Israel* iuxta regis *Syriæ* mandatū. & declinauerunt contra eū ad pugnadū: & exclamauit *Iehosaphat*, ad manifestādum se nō esse regem *Israel*: audierat enim *Syros* dicentes hic est rex *Israel* pugnemus cōtra eū. Cūq; intellexissent principes currū quod nō esset rex *Israel* ipse, auersi sunt ab eo.

Vir autem quidā tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens. Hebraicē habetur. Et vir iaculatus est arcu in puritate sua. hoc est absq; intentione percutiendi regem *Israel*: ab huiusmodi enim intentione purus dicitur hic iaculator. & percussit regem *Israel* inter pulmonem & stomachū. Iuxta Hebræū habetur, inter coniuncturas & inter loricam. Et coniuncturæ corporis cum cruribus insinuari videntur, loca confinij inter loricā & crura. dixitq; auriga suo, verte manum tuam & redue me de castris quia grauiter vulneratus sum. Iuxta Hebræū habetur, quia egrotavi. Noluit indicare qd vulneratus esset sed simulauit egritudinē sibi superuenisse, ne exterreretur exercitus audiens regem vulneratū. Et eo magis occultare suum vulnus sperabat quo in curru erat ignoto: vt pote sine apparatu regio.

Cōmissum est ergo, iuxta Hebræū habetur. Et ascēdit prælium in die illa. Post descripta particularia circa *Iehosaphat* & *Ach' ab*, describitur magnitudo prælij nomine ascentus: ne putaretur statim cessasse aut leue præliū. & rex *Israel* stabat in curru suo cōtra *Syros*. Superfluit suo. Suppletur quod nō fuerat adhuc explicite dictum: videlicet regem *Israel* stetisse in curru quāuis incognitum. et mortuus est vespere. vt adimpleretur verbū *Micheæ* prophetæ. & effluebat sanguis plagæ ad sinū currus. Et præco personuit in vniuerso exercitu ansequā sol occubere. Hebraice habet. Et trāsuit præco in castrū, sicut occubere sole dicēdo: vnusquisq; ad ciuitatē suā & vnusquisq; ad terrā suā. vt etiā imple rei visio *Micheæ* de reditu populi ad ppria. Mortuus est autē rex

perlatuſt eſt in Somerō: & ſepelierunt regem in Someron. Et lotuſt eſt curruſ in piſcina Someron & linxerunt canes ſanguinem eiꝯ. & habenas lauerunt. Hebraice habetur. & arma lauerunt: iuxta verbum domini quod locuſt fuerat. Ordo literæ eſt, curruſ quidem lotuſ in piſcina Samariæ eſt, arma vero quibus erat indutuſ lauerunt & linxerunt canes ſanguinem eiꝯ iuxta verbum domini. ex eo enim quodd iuxta verbū domini factuꝯ dicitur, intelligimus quodd licet curruſ fuerit lotuſ in piſcina Samariæ, arma tamē fuerunt lota in Izrehel vbi occiſuſ fuerat Naboth: ſic enim dixerat deꝯ per Eliā, in loco in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, liagent quoque ſanguinem tuum.

Reliquum autem verborum Ach' ab & omnia quæ fecit & domus eburnea quæ ædificauit. hoc eſt domus cruſtis eboris teſta in ſuperficie parietū intrinſecus. Sumptuoſa ac rariffima fuit fabrica hæc: ego tamen intelligo nomine domus aulam. omnesq; ciuitates quas extruxit: nonne ipſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum regū Iſrael? Dormiuit ergo Ach' ab cum patribꝯ ſuiſ & regnauit Achaz' iahu filiuſ eiꝯ pro eo.

Iehofaphat vero filiuſ Aſæ regnare cepit ſuper Iehudā, aꝯo quarto Ach' ab regis Iſrael. Et Iehofaphat filiuſ trigintaquinꝯ annorum erat, cum regnare cepit, & vigintiquinꝯ annis regnauit in Ieruſalaim: & nomē matris eiꝯ Ha'zuba filia Silchi. Ambulauiq; in omni via Aſæ patris ſui, & non declinaui ab ea, faciendo quod reſtatuꝯ eſt in oculis domini. Veruntamen excelfa non abſtulerunt: adhuc populuſ immolabat & thurificabat in excelfis. Intellige huiuſmodi ſacrificia offerri ſummo deo, nec interceſſiſſe peccatum niſi ratione loci. aſſuetuſ enim populuſ non potuit diſtrahi etiam ædificato templo ab hac delectatione ſacrificandi in locis excelfis: ibi enim conuiuia faciebant inter a bores & refrigerium auræ æſtiuo tempore. Pacemq; fecit Iehofaphat cum rege Iſrael. Reliquum autem verborum Iehofaphat & fortitudo eiꝯ quam fecit & qua pugnaui: nonne ipſa ſcripta ſunt in libro verborum dierū regum Iehudæ? Et reliquias effeminatorum qui remanſerant in diebus Aſæ patris eiꝯ abſtulit è terra. Tam diximus quodd meritorii ſignificantur non penituſ extirpati tempore patris. Nec erat tunc rex cōſtitutuſ in Edom. Iuxta hebræum habetur. Et rex non in Edom, præſectꝯ rex. hoc eſt Idumæa nõ habebat regē, ſed præſectꝯ vices regis agebat, officio, autoritateq; regia fungebatur, quanuſ tituluſ regis non haberet.

beret. Et ſcribitur hoc ad ſignificandum quodd Idumæa adhuc erat ſub rege Iudæ tempore Iofaphat. Iehofaphat fecit naues Tharſis ad eundem in Ophir pro auro, & non iuit: quia conſractæ ſunt naues in Hex'iongabu. Tunc dixit Achaz' iahu filiuſ Ach' ab ad Iehofaphat, vadant ſerui mei cum ſeruis tuis in nauibus: & noluit Iehofaphat, ſecunda vice. nā prima vice conſenſit vt ſimul irent & fractæ ſunt naues. vt paralipomenon teſtatur. reprehenuſ enim fuit quodd iunctuſ eſſet impio regi Iſrael. Dormiuiq; Iehofaphat cum patribꝯ ſuiſ, & ſepultuſ eſt cum eiſ in ciuitate Dauid patris ſui: & regnauit Iehoram filiuſ eiꝯ pro eo.

Achaz' iahu filiuſ Ach' ab regnare cepit ſuper Iſrael in Someron, anno decimoſeptimo Iehofaphat regis Iehudæ: & regnauit ſuper Iſrael duobꝯ annis. Fecitque malum in oculis domini: & ambulauit in via patris ſui & in via matris ſue. Izebel. & in via Iarobham filij Nebat qui peccare fecit Iſraelem. Secuſiſque Bahali & adorauit eum: & irritauit dominum deum Iſrael, iuxta omnia quæ fecerat pater eiꝯ. Et ſic finitur tertiuſ liber regum: Romæ die vndecimo nouembris. M. D. XXXI.

## THOMAE DE VIO

CAIETANI CARDINALIS SANCTI  
XYSTI, IN SECVNDVM LI-  
brum regum commentarij.

In quartum



Renaricatuſ eſt autem Moab in Iſrael poſtquam mortuſ eſt Ach' ab. Defectio Moabitarum à rege Iſrael narratur. erat enim tributariū regnum Moab regi Iſrael, vt infra narratur. Ceciditque Achaz' iahu per cæcellum in conaculum ſuum quod habebat in Someron, & egrorauit: miſitq; nuncios & dixit ad eos, ite conſulite Bahal' zebub deum Hec' ron an viuam de infirmitate hac. Angeluſ autem domini locutuſ eſt ad Eli' iahu Thūbitem: ſurge, aſcende in occurſum nunciatorum regū Someron & loquere ad eos, an non eſt Deuſ in Iſrael quodd ito ad conſulendum Bahal' zebub deum Hec' ron? Quamobrem ſic dixit dominuſ, de lecto ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed moriendo morieris: & abiit Eli' ia, dictiſ hiſ verbis diſparuit. niſi enim admirabilis fuiſſet abſceſſuſ eiꝯ, nõ fuiſſet illiuſ abſceſſuſ narratuſ tanquam ratio reuerſionis nunciatorum immediate ſub-

Mm iunctæ: